

II. Ulrich an Bischof Wiker von Brandenburg.

Vigero dilecto domino ac venerando dei gratia Brandenburgensi episcopo frater U. Steinveldensium fratrum inutilis servus devotum in omnibus servitium. Audivimus, quod quidam nuper a Roma venientes apud vos disseminaverunt, quod dominus abbas Premonstratensis a domino papa sine gratia eius recesserit, et quod dominus papa de portandis superpelliceis eum admonuerit. Quod omnino falsum esse sciatis. Dominus enim abbas Premonstratensis nuper Aquisgrani mihi retulit, quod dominus papa eum benigne suscepit et benigne a se dimisit, et quod ei dixerit, ordinem nostrum se velle venerari et fovere. Dedit etiam ei privilegium ad firmamentum ordinis nostri. Cuius rescriptum vobis misi, ut in eo cognoscatis, quantum, qui hec retulerunt, a veritate discordent. Vehementer autem omnes patres ordinis nostri, qui apud nos et in Saxonia morantur, desiderant, ut si fieri potest, ad proximum colloquium veniatis sperantes, quod consilio et auxilio vestro plura ad honorem dei et communem utilitatem pertinentia ibi tractari et ordinari possint. Vale.